

tionem, sed aliquod in corpus accidens, quod natum conducet quasi ad mortem, secundum naturam infortunæ. Et in tali casu fortitudinis, nequaquam iudicabis uitæ ascensionem, nisi multa occurrerint, maxime nato adhuc iuvene existente. Si uero in senio fuerit constitutus, eò quod uirtus Hylegij quotidie remittitur, ex sola directione, licet non sit admodum potens, poteris uitæ terminum enunciare. Item etiam considerandum est, utrum eclipsis aliqua gradum ascendentem, aut aliquem angulum figuræ occupauerit. Nam in tali casu nisi admodum fuerit potens uitæ significator, uitæ truncationem enunciabis.

Complexionem corporis ac sanitatem & ægritudinem nati prognosticare. Canon IIII.



Hæc demonstranda sunt, ex ascendente, Luna & sexta ac eius domino. Si autem in ascendente fuerit infortuna, aut radij eius, dic malam corporis futuram complexionem, & quòd natus multum aptus est ad ægritudines. Idem dicas si Lunam inueneris male dispositam, & maxime si fuerit alligata sextæ domui, uel domino sextæ, quæ significatio etiam augetur ex existentia infortunæ in sexta, præsertim Saturni, qui plurimas in isto loco dat ægritudines. Et si unum ex his significatoribus corporis reperies male dispositum, dic non multas ægritudines futuras. Si autem omnes, aut maiorem partem malæ dispositionis reperies, dic ex communi mala reuolutione, aut ex quacuncq; causa, licet parua, natus ægritudinem incurret. Magnitudinem ægritudinis pronuncia bis, quotiescuncq; reperies significatores malos in angulis, aspicientibus loca prædicta, uel si luminaria fuerint, ab his malis sic aspicientibus loca ipsa, male aspecta. Tunc enim magnas fore ægritudines pronuncia bis, quæ quidem corpus aliquando ita male distemperabunt, quòd uix ad pristinum statum poterit redire. Naturam ægritudinis cognosces ab infortunis, & a signis, quæ ab eis aspecta fuerint, loca & corporis membra, quæ ægrotabunt pronuncia bis.

Substantiam atq; diuitias nati dijudicare. Canon V.



Considera partem fortunæ, quæ semper proijcitur à Sole in Lunam, excepto cum antecesserit plenilunium, & in ipso plenilunio Luna fuerit potentior Sole, tunc enim e contra à Luna in Solem proijcitur. Quòd si partem fortunæ in angulo reperies, ac dominum eius fortem ac potentem, dic quòd natus diuitias plurimas habebit. Si autem pars fortunæ fuerit in cadente, & dominus eius debilis, pauper futurus est. Et nota, si dispositio partis fortunæ fuerit fortuna, largitatem & affluentiam diuitiarum pronuncia bis, de quibus natus gaudebit, & bene sibi faciet. Si autem infortuna fuerit fortis in figura, diuitias nato dabit, sed per fas & nefas, & cum infamia. Quòd si talis fuerit Saturnus, nec sibi nec alijs benefaciet, imò avarus thesaurifabit. Si Mars, ex uolentibus & litibus diuitias aggregabit: quas tandem dissipabit, & quæ in propria familia parum durabunt. Si Mercurius fuerit substantiæ significator, diuitias quam plurimas promittit ex mercibus, aut literis acquisitis, sed parum durant diuitiæ à Mercurio datae. Venus autem affluentiam præbet ex donationibus, quas natus in lasciujs, uestibus, cibo ac potu plurimum erogabit. Non postponas dominum secundæ, & secundam domum, quia secundum qualitatem, bonitatem & maliciam & fortitudinem ac debilitatē diuitiæ per partem fortunæ significatæ, augentur & diminuuntur.

Dignitas